Non quidem eos maxime contempnamus, sed quidem uident acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. Cum autem proprium sit academie iudicium suum nullum interponere, ea probare que simillima ueri uideantur, conferre causas, et quid in quamque sententiam dici possit expromere, nulla adhibita sua auctoritate iudicium audientium relinquere integrum ac liberum, tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam, ea que inter nos si tibi, Quinte frater, placebit quam sepissime utemur. Mihi uero, inquit ille, nihil potest esse iucundius; quae cum essent dicta surreximus;

FINIT;

Cum quisquam a bellis et a baluis mundi adversitatibus securus uineam excolat et alias mundi uoluptates exerceat, non uilissimum est hortorum culturam exercere;

Plurima tranquillae cum sint insignia uite,
Non minimum est, si quis Prestane deditus arti [illegible]
Nouerit obscoeni curas tractare Priapi.
Ruris enim quecumque datur possessio, seu sit
Putris harenoso qua torpet glarea tractu,
Seu pingui molita grauescit uligine fetus,
Collibus erecta altis sita, siue iacenti
Planicie facilis cliuoso seu uallibus horrens,
Non negat ingenuos holerum progignere fructus,
Si modo non tua cura graui compressa ueterno
Multiplices holitoris opes contemnere stultis
Ausibus assuescat, callosas atque aere duro
Detrectat fuscare manus et stercora plenis
Uitat in aruis disponere puluere qualis.

Hec non sola mihi patefecit opinio fame
Uulgaris, quesita libris nec lectio priscis;
Sed labor et studium, quibus otia longa dierum
Postposui, expertum rebus docuere probatis.

Bruma senectutis uernacula totius anni,
Uentris et amplifluum suspectrix seua laboris,
Uer sub introitu aduentu terrarum pulsa sub imas
Deliduit latebras uestigiaque horrida auare
Uer hiemis reduci rerum delere pararet,
Scematteret antiquo languentia rura nitori
Reddere uer orbis primum caput et decus anni,
Purior aura diem cum iam reserare serenum
Inciperet zephirosque herbe floresque secuti
Tenua porrigerent radicis acumina cepto.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

HESSEN
Staatliche Schlösser
und Gärten Hessen

Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch
Welterbestätte
seit 1991

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1519/0188